

1542  
Carolus  
Aurelianuſ  
Dux a Rege  
in Lucem-  
burgenses &  
Sequanos  
missus.

Galli Atre-  
bates inva-  
dunt.

cem in Lucemburgenses, ac Sequanos impetum facere : Vindocinensem Principem in Atrebates, ac Morinos cum alio exercitu mittit. Henricus, frustra Perpiniano tentato, cum militum praesidio, ac munitione tutum ægre expugnari posse animadverteret, re infecta, discedit. Carolus aliquot Lucemburgi oppida occupat, agros foede diripit, ac vastat. Verum uno dempto Iosio, omnia a Cæsareanis recuperantur. Vindocinensis aliquot in Atrebatis, ac Morinis castella capit. Neque in Subalpinis Galli, Gulielmo Langeo duce, quievere. In Gallia quoque Cisalpina occulto varia agitata, ut per insidas oppidum aliquod in ea provincia Cæsari eriperetur, cum Gallicæ in iis ditionibus factionis princeps Petrus Strozzius quam maximam posset militum manum colligeret, ac quotidie aliquid novi moliretur, ut ad Venetos quoque ea mali tabes pervenerit.

Nam Maranum, Forijulii oppidum Veneta æstuaria attinens, quod Ferdinandi Romanorum Regis ditionis erat, Beltrandus Sacchia Utinensis, Turchetto centurione Brixense socio, astu furtim occupavit. Mercatores enim ementiti, quo res facilius perfici posset, ad merces, quæ parvo navigio veherentur, servandas conductere apothecas; eo accedente, portuque angusto excepto, statim sexaginta, qui armati contegebantur, prodiere; oppidi porta, ac maritima mole infessa, Germanis circiter triginta cum eorum praefecto ejectis, nulla oppidanis injuria, aut damno allato, in suam potestatem redegere. Mox sublato Gallico vexillo, Petrum Strozzium, Florentinorum exulum ducem, evocarunt: is, in Venetorum ditionibus tumultuaria militum collecta manu, in oppidum introductus, Galliarum Regis nomine se Maranum tenere professus est. Moleste tulerat Senatus tam propinquas urbi, haud difficulter in bellum, ni compescerentur, exarsuras, faces admotas esse: ne in Ferdinandi animo de illius voluntate suspicio oboriretur, quod ea res per Reipublicæ subiectos homines patrata foret: ægre ferebat, Gallos sedem eo in loco sibi constituisse, ex qua & finitimas regiones excurrebant, & virium incrementa sumerent, æquo animo pati non poterat. Huc accedebat, quod ab iis aperte vulgaretur, Venetis Regis amicitiam, & societatem abuentibus, ut oppidum rursus in

Fer-

Maranum  
a Beltrando  
Sacchia oc-  
cupatum.

Petrus  
Strozzius  
Maranum  
ingreditur.